


Politica  
Europa  
A. Sy.  
Statua  
Ierueli  
monstans.




*P. 6*  
Sammelband

20 b









Arnoldi Redekeri, Profess.  
in Academia Hasso-Schaumburg.  
Philosoph.

# STATUA

Mercurialis

VIAM,

Qua ad Eruditionem pervenitur,

COMMONSTRANS.



RINTELII

Excudit Petrus Lucius, Acad. Typogr.

cla h c lv.

[Ded 1375]

*Nobilissimo & magnæ expecta-  
tionis Adolescenti*

**Joanni Casparo**

*Viri Generosi & Nobilissimi*

**Dn. Caspari à Pothausen/  
Serenissimi Electoris Brandenburgici,  
Ducis Legionarii, & Gubern. Mindensis,  
Hereditarij in Goerzdorff/**

**FILIO UNICO,**



**Jam tum Paternæ Virtutis Æmulo**

S. P. D.

**Arnoldus Redeker.**

Ani-





N I M U M meum  
 paulò diligentius  
 illud, quod sibi hęc  
 pagellæ vendicāt,  
 inscriptionis contuentem subī-  
 bat, veteres non solūm Græcos,  
 verūm etiam Romanos illis,  
 quos virtus in sole & conspectu  
 mortalium collocaverat, statu-  
 as, tantæ virtutis testes, erexisse.  
 Continuò hīc ego mecum: sub  
 cuius ergo nominis elogio, & in-  
 signibus hanc Mercurialem sta-  
 tuam in agro, ut ita dicam, litera-

rio comparere fas est? Nec mo-  
 ra: tu confestim te mihi, flos a-  
 dolescentum *Joannes Caspary*,  
 sistebas sicque morum tuorum  
 mihi abblandiebaris elegantia,  
 ut non alius, quam tui nominis  
 encomium ei inscribendum es-  
 se existimarem: cum enim non  
 tam iis, qui aliquamdiu jam in i-  
 sta, qua ad eruditionem nobis  
 patet accessus, via versati sunt,  
 quam qui eam primum ingredi  
 parant, & praeterea in istam ere-  
 cti sunt spem, futurum, ut non  
 sine fructu spacia in illa confi-  
 ciant, hanc statuerim statuam,  
 tu utraque de causa dignus mi-  
 hi vi-

hi videbaris, cui uni præ omnibus ipsa poneretur. Præterquã enim, quòd jamdudum collectas composuisti sarcinulas, ut certis itineribus ad eruditionis arcem contendas, eam quoque de te in omnium animis spem cõcitasti, ut nemo diffidat, quin tandem ad optatos eventus tui provehantur conatus. Quod non solùm, cùm ad Eximium *Joannem Deteringium*, qui in moribus tuis formandis ingenioq; doctrinis optimis expoliendo omnem figit locatve cogitationem, inviserem, verùm etiam cùm mihi hïc in meo ad-  
esses

esses museo , coram expertus  
 sum : dum te ista ætate adole-  
 scentem jam tum Gallico ser-  
 mone animi tui sensa exprome-  
 re potuisse admirat<sup>9</sup> sum. Gau-  
 debam tum mihi tacitè ; Præ-  
 ceptori verò tuo , amico meo,  
 qui mihi semper fuit , fas sit il-  
 lud Nasonis huc transferre,

*dulcius illa*

*Melle , quod in ceris Attica ponit  
 apis,*

gratulabar , quod is ei contigis-  
 set adolescens , quem erudire &  
 voluptati & laudi morum in-  
 geniique formatori esse queat.  
 Nam quid dicam de Generoso  
 Parente

Parente tuo? Sanè sicut is prudentiâ tam togatâ quàm militari sic caput effert, velut

*altus Olympi*

*Vertex, qui spatio ventos hiemes-  
que reliquit,*

ita quis ambigat, vehementer illum lætari, quòd eum, Coelitum favore, nactus est filium, in quo exacta paternæ virtutis effigies conspici olim queat? Tu modò, ô Optime, summo studio, eò, quoad cor sub læva tibi saliet mammilla, enitere, ut efficias, ne unquam veritate suffragante dici queat, nos istâ, quam de te concepim⁹, spe falsos esse;


A 4

sed,

sed, ut cœpisti, ad sapientiæ tem-  
plum pietatis & industriæ alis  
subvolare perge. Ita fiet, ut Pa-  
rentis tui, à quo sanè magnum  
tibi ad virtutis decus relictum  
inuitamentum, quemve diu in  
hac statione esse velit summus  
orbis Rector, non nomen so-  
lùm ; verùm etiam virtutem  
tandem ex aſſe possideas. Ego  
Deum omni animi contentio-  
ne veneror, velit ille quasi jam  
herbescentem virtutem tuam  
sui sideris afflatu ad maturam  
segetem provehere, eaque tibi  
ingenii incrementa largiri, ut,  
quod de Timotheo Cononis  
filio

filio scribit Corn. Nepos, eum a  
patre acceptam gloriam multis vir-  
tutibus auxisse, idem verè de te  
olim usurpare possimus. Vale.  
Rinthelii in Academia Hasso-  
Schaumburgica Eid. Januar.  
c1o Ioc LV, quem tibi felicem  
adprecor.

STA-



## S T A T U A

## M E R C U R I A L I S

Viam, qua ad Eruditionem  
pervenitur, commonstrans.

I.

*Quenam sint illius, cui eruditio est  
in deliciis, munia.*



T omnium omnino ho-  
minum, ita vel maximè  
illorum, qui Musis ope-  
rantur, est, semper in o-  
culis conspectuq, habere mu-  
neris sui partes & numeros, &  
in eâ defixum esse cogitatione,  
se, si rectè eos expleat, verè de-  
mum illud, quod profitetur,  
nomen tueri posse; sin minus,  
planè eo indignum esse.

Homia



Hominis igitur eruditus accenseri cupientis, si contueamur munia, tria hæc esse deprehendimus: virtuti studere, eruditionem sectari & morum civilitati operam dare, exprimente hæc non malè isto versiculo:

*Prima pia mentis sit cura, sit altera morum,*

*Tertia literulas perdidicisse bonas.*

Non sol, siderum formosissimus coelum, non flores & arbores terram, non gemmæ artus nostros sic exornant, ut hæc tria suavissimo nexu inter se copulata hominem; præsertim adolescentem & juvenem.

De virtute res adeò manifesta est, ut qui hanc non exercet,

A 7

ho-

hominem exuisse dicendus sit; tantum abest, ut inter eruditos locum obtinere queat.

Qua ratione autem in illius possessionem nobis devenire liceat, præter divina oracula & horum interpretes, illi quoque qui rationem ducem tantum sequuntur, nos docere possunt. Et ex illis quidem Erasmum Roterodamum ejusq; Militem Christianum & Joan. Lud. Vivem ejusque Introductionem ad veram sapientiam; ex his verò Senecam & Epictetum è porticu Philosophos, ad Christianam veritatem, quod morum doctrinam attinet, quàm proximè accedentes nominare & dilaudare nūc tantum lubet.

De

De morum civilitate & elegantia etiam non idem plane iudicium ferendum esse puto; curæ tamen & cordi nemini propterea esse desinat: dici enim vix potest, quantum ipsa ad demulcendos hominum animos pondus habeat. Cave autem me loqui existimes de ineptis illis & mimicis corporis gesticulationibus & ἀκρομοῖς, vel verborum delinimentis sesamo & papavere aspersis, quibus nonnulli ad nauseam usque indulgent. Sed illi mihi à moribus limatissimi sunt & dicuntur, qui ex præscripto virorum prudentium, ut Galatei à Nathane Chytræo ex Italico in Latinum sermonem transfusi eos efformant & poliunt. Cui  
si quis

si quis Erasmi de civilitate morum vel etiam Guazzi de civili conversatione libros velit adjungere id verò ei integrum erit. Nos age nunc, his missis, viam indagemus, qua ad eruditionem nobis patet accessus.

## II.

*Quid eruditio & quàm nobile bonum.*

**S**Ed antequam hoc agere incipiamus, de eruditione non omninò nihil prælibasse, haud absrefuerit. Inter tria autem illa, quæ jam jam enarrabamus, duo priora hoc habent præ ultimo eximium, quòd in illis hominis sita est perfectio, quodve illorum ope ad Deum & mentes cœlestes magis atque magis acce-

accedimus illiusque similitudo in nobis refingitur.

De eruditione qui velit ambigere, is ejus genium & indolem tantum quasi per transennam contempletur, & evadet ei hoc tam perspicuum, quàm quod quàm maximè.

Eruditio (si tamen illud, cui capiendo mens nostra nullo modo par est, verbo complecti licet) est cognitio, qua se se intellectu tota rerum natura pandit, qua is non solum, quicquid in coeli terræque circuitu conspicitur, cognoscit, sed altiùs ad res divinas intelligendas se attollit, qua in virtutis naturam penetrat, quæ ratione mortales beatè atque tranquillè, quin justè, addo quoque valetudine accom-

accommodâ præditi vivere, & tandem æternam illam & beatissimam, quam omnes suspiramus, vitam indipisci possint, dispicit.

Sed hîc jam qui eruditionis præstantiam laudando se æquare posse speret,

*idem pulsantes littora  
fluctus;*

*Et Libicas numero comprehendere  
tentet arenas.*

Quocirca id tantum dico, esse illam perfectionem hominis, vitæ humanæ ducem, mentis pabulum, scientiam divinitus concessam, virtutum parentem, animorum liberatricem, fontem humanæ felicitatis, in infortuniis asyllum, addam & illud, quod majus est, ideam futuræ

turæ beatitudinis & affinitatis  
cum geniis cœlestibus, ipsoque  
adeò Deo ineundæ.

III.

*Arduam esse viam ad erudi-  
tionem, & veram ac regiam  
magno studio investigan-  
dam.*

**Q**Uam nobile igitur bonum  
sit eruditio, sic quadaute-  
nus adumbravimus. Quem-  
admodum autem cum rebus  
plerumque omnibus est com-  
paratum, ut quò sublimiorem  
unaquæque illarum dignitatis  
& excellentiæ gradum obtinet,  
eò difficilior ad illam mortaliũ  
generi pateat accessus, id quo-  
que de eruditione adeò verum  
est, ut nihil possit esse verius.

Quod

Quod & illi, qui fabularum involucris arcanam quandam sapientiam tegere consueverunt, mihi innuisse videntur, cum Musas in montibus excelsis habitare finxerunt, quippe quorum cacumen non sine maximo nisu & sudore cuiquam contingere detur.

Quanquam, si verum velimus fateri, non parum laboris illius gravitas imminuitur, si per veram & regiam, qua ad illam itur, viam incedam<sup>9</sup>. Quid, quod affirmare procul omni hæsitatiuncula audeo, ille, qui sine certo ordine, modo & methodo, ut sic dicam, studendi se cœlo, loquar nunc ita, literario committit

*ceratis ope Dædaleâ  
Niti-*



*Nititur pennis vitreo daturus*

*Nomina Ponto,*

Quod si igitur nautæ se vasto mari tutò committere non audent, nisi ante, qui scopuli vitandi & quænam vada declinanda sint, probè norint. Si viatores haud facilè iter suscipiunt, nisi, qui saltus, quæ devia transcunda sint, sciant, quid illis faciendum esse arbitrabimur, qui eruditionis immensum oceanum, & campum latè patentem ingredi parant? Hujus ergo viæ inveniendæ & monstrandæ causâ Musas ex Helicone, si fieri queat, accersamus.

*Qui-*

## IV.

*Quinam ad eruditionem habilis & aptus.*

**C**Æterùm sicut non quilibet ad itinera præsertim magna conficiunda est aptus, nec ex quovis, ut vulgo dicitur, ligno fieri potest Mercurius: ita nec quilibet utilem literis operam navare potest; sed is demum à quo initiò crassitudo mentis si non omnis, certè maxima abest.

Sicut enim natura etiam optima non adjuta doctrinâ parum prodest, ita & doctrina propè omnis frustra fuerit naturæ bonitate destituta.

Planè ut lapis non omnis igni eliciendo aptus est; & tamen

men illum, qui aptus est, chalybi allidi necessum est: ita nec omnis intellectus eruditioni imbibendæ idoneus est, & tamen illum, qui est idoneus, doctrinâ juvari per op<sup>9</sup> est. Quæ de causa & Pythagoras à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσίον ἤγορευε. *Id verbum (verba sunt Agellij) significat mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu, sciscitari. Eum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat & tempus certum tacere; non omnes idem, sed aliis aliud pro aestimato captu solertia.*

Sed

Sed & insitâ quadam alacritate & inclinatione eum inde à teneris unguiculis in eruditionem ferri velim: absque hoc enim si sit ingenium etiam optimum, nunquam ad excelsa enitetur;

In Pro-  
bo c.3.

Quod n. Vopiscus de virtute summâ affirmat, neminem unquam pervenisse ad eam jam maturum, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designasset, idem de eruditione summâ usurpare licebit: neminem unquam ad illam pervenisse, nisi qui puer generosiore erga literas amore concretus, aliquid inclytum in illis designasset.

Huic

Huic ipsi autem alacritati si comes adfuerit admiratio, qua animus illis, quas intuemur, rebus inhæreat, magis adhuc ad eruditionem inhibendam erit compositus: quod si enim, ut Philosophus existimat, admiratio est mater sapientiæ inventæ, quidni eadem sit mater addiscendæ?

Sed hinc jam illud occurrit, quod vel præcipuè in Musarum cultore idoneo requisivero: Animus ab omnibus inutilibus curis & pravis cupiditatibus liber & expeditus. Enimverò si quis ex me causam scitetur, quare, cùm homo, ut denuò Philosophus ait, naturâ scire desideret, multi & tantùm non innumeri reperiantur, qui a-  
deò

deò sapientiæ amore non sunt occupati; ut eam insectentur disteriis, & ne nummo, si vel maximè possint, plumbeo sibi emendam esse putent, dixerim hanc esse, quòd illorum animi curarum & affectuum quodam quasi æstu sint abrepti, qui mētis oculum ita præstringant, ut videre nequeant, quàm excellens bonum sit sapientia. Boëthij quid vetat quò minus hîc annectamus verbis?

*Tu quoque, inquit, si vis*

*Lumine claro*

*Cernere verum,*

*Tramite recto*

*Carpere callem,*

*Gaudia pelle*

*Pelle timorem*

*Spemque fugato,*

*Nec*

*Nec dolor adsit.  
Nubila mens est  
Vinetaque frenis,  
Hac ubi regnant.*

Quid addam amplius? illud unicum: Duo esse denique illi, qui ad aliquam eruditionis laudem aspirat, non aliter ac orci limina fugienda: corporis voluptatem & otium. De illa sic sentit ille, qui in arce Romanae eloquentiae stetit, ut nullam dicat capitaliorem pestem hac ipsa hominibus à natura datam esse.

Fugit autem illam qui illicitos amores, qui helluationes, qui ingluviem qui somnum immodicum fugit.

Sanè sicut aves. quarum pedibus pondera quædam appen-

B                      sa

sa sunt, non possunt, etiamsi  
maximè cupiant, se alarum ni-  
su in sublime attollere, ita ista a-  
nimum ad coelestia & divina se  
erigere cupientem detinent &  
deprimunt.

Otii ea est turpitudine, ut, qui  
illius nexu mollissimo sunt ir-  
retiti, frustra nati videri queant:  
propter agendum enim homo  
productus & in hoc orbis terræ  
theatro constitutus est.

Accedit, quòd iidem nihil  
præclari in studiis moliri vel ef-  
ficere possunt; cùm eruditio:  
nobile quippe bonum, etiamsi  
cum nobilissimis comparetur:  
non sine summo labore & plus-  
quàm Herculanâ industriâ ac-  
quiratur.

Volo igitur ultimò; & quid  
ego



si ego volo ? ipsa rei indoles &  
i- summa necessitas vult, illum,  
a- qui in amplexus Musarum ve-  
se nire cupit, laborum & vigilia-  
& rum esse tolerantissimum: ad  
exemplum Romanorum Sa- <sup>Epist.</sup> IIX.  
pientissimi, qui *nullus, ait, mihi*  
qui *per otium dies exit: partem no-*  
ir- *ctium studiis vendico: non vaco*  
nt: *somno, sed succumbo & oculos vi-*  
no *gilia fatigatos candentesque in*  
ræ *opere detineo.* Quæ verba ut  
hil nemo facilè absque admiratio-  
ef- ne legit: ita nec sine imitatione  
io: à quoquam legi, in primis mihi  
mfi est optatis.

B 2

Quæ-

V.

*Quenam homini ad eruditionem ritè composito, quamdiu in via ad eam ducente versatur, sint observanda & sedulo agenda.*

**C**Ujuscunque ergo animus ad istum modum est compositus, illum jam, si illæso pede viam, quam mox mox monstrabimus & ingredi & in eâ progredi velit, oportet nonnullis instructum esse, quæ ad instar baculi toto itineris tempore, quod non nisi cum vitâ finitur, esse possint.

Et cur non hic statim illud adferam? Homini, quamdiu in hac via agit, preces ad Deum pro felici ingenij incremento & stu-

& studiorum successu fundendas esse. Cum enim nos homunciones sine summi Numinis auxilio, ne digitum quidem, ut Ethnicus iste prorsum Christianè loquitur, pallio exerere possimus, quid quæso sine eo in tanti momenti studiis efficiemus? Sed hoc nemo nescit, nemo in dubium vocat. Utinam omnes agant!

De divino ubi jam certus fuerit auxilio, antequam gradum proferat, apud animum constituat, quousq; in literis progredi cupiat, quidve desideret adipisci, sive, ut rem verbo exprimam, scopum sibi præfigat, ad quem omnes suas actiones dirigat: id enim ni faciat, Andabatarum more aëra feriet, &

B. 3.

præ-

præterea ea est eruditionis am-  
plitudo, ut nemo, quamdiu hanc  
vitam vivit, eam universam  
mente complecti queat: ipsum  
ita confirmante Anglico illo  
Martiale:

*Vt solidè sapiat nulli sua sufficit  
etas,*

*Mors prius à tergo, quàm sa-  
pientia adest.*

In  
Phæ.

Atque eam ob causam Plato  
quoque existimat, eum, qui  
*verè philosophatur, censere, nus-  
quam aut numquam se puram  
Sapientiam, quàm APUD IN-  
FEROS consecuturum: hoc est  
corporis hujus onere deposito  
in beatis illis locis, apud fontem  
omnis Sapientiæ.*

Generosæ autem mentis est,  
illic scopum figere, quò fortissi-  
mus

mus quisque se cuperet pervenisse: eoque omnem operam & industriam conferre, ut turbae litteratorum eximatur.

Pulcrum est, ait ille, mediocre autorum æquare doctrinam. Pulcrius, ad summorum virorum excellentiam contendere. Pulcerrimum longè superare majores omnes, atque eum tenere montis tractum, quò nec aliquis perveniret, nec fortasse perventurus esset. Primum prorsus facilè. Medium arduum. Postremum tale, ut nefas videatur, si mente ejusmodi quicquã agitaris. Quamquam qui ab ingenio & reliquis adminiculis probè instructus ad tam sublime fastigium conatur eniti, si ipsum illud non

contingit, in aliquo ejus confinio consistet.

Quid multa? in scopo constituendo se unumquemque suo modulo ac pede metiri fas est, ut cognoscat, num viribus itineri conficiundo paribus polleat, & ut Poëta ait, *quid humeri ferre queant quidve recusent*, intelligat.

Epist. I. Sed nunc tempus occurrit, cujus nemo minorem sibi habendam esse rationem existimet; sed potius cum *omnia aliena sint*, ut Seneca ait, *tempus tantum nostrum*, atque in hujus rei unius fugacis possessionem natura nos miserit, omnem horam se perdidisse credat, qua non aliquem in literis progressum fecerit.

Ut

Ut verò rectè illud collocet,  
dividat, vel secet quasi diem in  
certas partes, cumve tempore  
matutino, depulso de pectore  
& in omne corpus modificato  
cibo, sensibus pristinus vigor  
redierit, illo studiis severioris  
frontis, majorisque difficulta-  
tis animum licebit intendere.  
Quibus qui horas etiam non-  
nullas ante coenam impenden-  
das esse arbitrabitur, non equi-  
dem errabit. Quod superest  
temporis, id sibi amoeniores  
vendicent Musæ.

De loco etiam dicendi hîc  
locus est: Et eligi quidem, si in  
nostrâ hoc sit manu, illum cu-  
piam, qui ab arbitris omnibus,  
omniq; tumultu sit remotus, in  
hoc enim, tanquam aptissimo

B s quo-

quodam Musarum domicilio,  
sine ullâ interturbatione nobis  
vel arcanum hunc naturæ sinū  
meditando excutere vel aliis  
studiis sine ullâ remorâ vacare  
licebit.

Quæ etiam causa fuit, qua-  
re veteres isti sapientiæ proce-  
res suos habuerint secessus,  
quos tanti fecerunt, ut extra il-  
los nihil luce digni elaborari  
posse sibi persuasum haberent.  
*In hoc, inquit ille, quē jam jam  
laudavi, Stoicæ Philosophiæ  
primipilus, me recondidi & fo-  
res clausi; ut prodesse pluribus  
possim, secessi non tantum ab  
hominibus; sed etiam à rebus &  
primūm meis. Nam quid Pli-  
nium (juniolem vocant) pro-  
feram? Tot sanè in locis is se-  
cessus*



cess<sup>9</sup> extollit, ut nunc ista enarrare difficile sit. Atque ecce ad ordinem nos ordo deducit.

Observantissimum huius esse velim unumquemque, singula prudenter disponendo & ordinando; non uno die, unâ hebdomade, uno mense, uno anno quælibet promiscuè tractando.

Nolim studiosum juvenem esse muscæ similem, ad omnes patinas advolantis & de cibis quibuslibet, non tam delicatè quàm fædè ligurientis: immane enim, quantum tumultuaria ista studendi ratio obsit; ordinata verò profit.

Omnibus ad eum modum jam constitutis, adhibitâ etiam eâ, quam adhibere par erat, diligenti-

ligentia, si quem fortè initiò  
successus destituat, is non con-  
tinuò spem omnem abjiciat;  
sed cogitet, sicut horologij um-  
bram progressam sentimus;  
progredi non cernimus, & fru-  
ticem aut herbam crevisse ap-  
paret, non apparet crescere: ita  
ingeniorum profectus, quoni-  
am minutis constant auctibus,  
ex intervallo sentiri.

Quod si verò prosperiorem  
experiatur fortunæ flatum, nō  
patiatur animum suum inani  
quadam partæ eruditionis per-  
suasione occupari: istā enim  
qui sunt ebrij desidiæ plerumq;  
se tradunt & rarò aliquid gene-  
rosum sapere discunt.

Præterea, quemadmodum  
illi, quibus atra bilis molesta est,  
mox

mox reges, mox principes, mox  
alius conditionis homines se  
esse, animo fingunt; cùm nihil  
minùs quàm tales sint: ita illi  
inter eruditos haud postremū  
sibi tribuentes locum, rerum &  
divinarum & humanarum pe-  
nitus sunt tignari.

## VI.

*Quenam sit ipsa via, qua ad  
eruditionem pervenitur.*

**S**ED nunc age, quicumq; es a-  
nimo ad istum modum  
composito, ipsam, qua ad eru-  
ditionem pervenitur, viam me-  
cum ingredi. Sed quænam  
illa? Non à vero aberravero, si,  
quibus Philosophus bonum pa-  
trem familias vult fungi mune-  
ribus, iisdem districtos esse ve-

B 7

lim

lim illos, qui veræ eruditionis amore ac studio tenentur.

i. Oe-  
con. c.  
VI.

Aristoteles autem rei familiaris administratorem, vult opes parare, partas conservare, conservatas exornare & exornatis denique rectè uti posse.

Attende, cui eruditio est in deliciis, & pariter muneris tui atq; adeò hanc viam illam esse existima: primò ad eruditionem parandam omne studiũ, omne tempus, omnem industriam conferre. Deinde cùm non minoris momenti sit, opes acquisitas custodire & tueri, in illâ custodiendâ operam neutiquam minorem collocare. Et deniq; quemadmodum aurum, si non utare, à cœno non differt, pari propemodum ratione

tione de eruditione, ut ut egregiâ, pronunciare licebit, illam legitimo usu destitutam à vitiosa nuce parum differre. Ultimò igitur partis sapientiæ opibus uti scias, qui eruditorum numero adscribi cupis. Quod tamen, ut eo, quo par est, modo fiat, exornationi locus est concedendus, qua illæ colore veluti novo exornatæ & expolitæ in lucem proferantur. Quid? nunquid inani nos torquebimus labore, si singula seorsim sed breviter explicemus? Non equidem existimo.

Quo-

## VII.

*Quomodo & quot modis eruditio acquiratur.*

I. II.  
Ep. II.

Intrd.  
N. 158.

**A**Cquiri igitur eruditionem quinque potissimum dixerim modis: Auscultatione, Lectione, Meditatione, Colloquio & Conversatione. De Auscultatione loquentem audiamus Plinium Juniorem: *Multò magis, inquit, ut vulgo dicitur, viva vox afficit: nam licet acriora sint, quæ legis; altius tamen hærent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit: A quo non abit Ludovicus Vives, Scito, inquit, nullum esse sensum, per quæ promptius doceamur, quàm audire multa & nihil utilius. Magnifica*

gnifica sanè verba ; & tamen nihil ferè supiniùs , quàm hoc agitur.

Cæterùm quemadmodum feræ in sylvis inter herbas venenatas & salutare norunt naturæ ductu discernere , ita cuivis inter sermones inutiles & velut veneno quodam illitos & utiles atque animum salutaribus monitis nutrientes. Ab illis aures cohibendæ , his verò non sine alacritate quadam commo-  
dandæ.

Id verò ne fructu careat suo , sollicitâ auditori observandum est curâ , quid , antequam se ad audiendum cõferat , quid , dum audiendo dat operam , quid denique , cum auditione perfûctus est , fieri agique è re sit.

Audien-

Audientium priusquam se numero inserat, istam, in qua sermonem consumptum iri novit, materiem quadantenus sibi familiarem reddat, inspiciendo partim istos, qui de eâ commentati sunt, scriptores, meditatione partim ei inhærendo. Id si fecerit, fiet, ut facilius in illarum, quæ docentis mentem linguamque occupant, rerum cognitionem se penetrare queat.

Cum primis verò etiam omnes pravas sollicitudines inutilesque curas atque à præsentem negotio alienas cogitationes ante limen exuat atque abjiciat. Enim verò cujuscunque animus his velut est circumvallatus, eum præsentem peregrinari



nari atque , ut *κομνηνοπρίστis* apud Comicum senex , corpore suo esse in auditorio , animo verò alibi circūvagari oportebit.

Et mihi , hæc paulò diligentius consideranti , occurrunt aviculæ , quæ ex fringillarum genere memorantur : sicut enim hæ non antè discunt modulamina humana cantu suo exprimere & imitari , quàm ipsis oculi , attentioni debitæ remoram facturi , ferro candente sint exusti : pariter quamdiu ex illius , qui cum Musis sibi commercium esse cupit , animo non expellitur omnis inutilium curarum turba , tamdiu eum mentem non adhibere , nedum ea , quæ proponuntur intelligere & si vel plus millies repetantur

tur

tur memoriâ custodire posse  
ecquis mirabitur?

Sed istis curarû vinculis solut<sup>9</sup>  
ubi ἀκροατήριον ingressus fue-  
rit, id agat, ut totus, quasi extra  
se raptus à docentis ore pende-  
at. Et quidni pendeat? cûm  
non rarò de differentium Præ-  
ceptorum ore sic Veneres o-  
mnes, omnes Charites scateant,  
ut in ipsis Parnassi nemoribus  
nobis in ambulare videamur.

Attentioni huic conjunctam  
esse velim scriptionem, sive an-  
notationem, qua illa, quæ dili-  
gentiorem merentur observa-  
tionem, excipiantur & quoquo-  
modo chartæ vel tabulis in-  
scribantur. Memoria hoc non  
suadet sed efflagitat, ac quasi  
imperat angustia: Hujus sub-  
levan-

levandæ causa jam olim Romana vetustas Notariorum usa est operâ: quippe qui certis quibusdam notis, unde etiam nomen acceperunt, voces & verba uno signo signantibus orationem tantâ exceperunt celeritate, ut dicentem notando prævenire potuerint: ut enim Martialis canit,

*Currant verba licet, manus est  
velocior illis,*

*Nondum lingua suum dextra  
perexit opus.*

Equidem periisse utilissimam hanc artem dolendum, & tamen, si libeat adniti, reparabilem esse, cum istâ Romanarum antiquitatum historiarumque animâ I. Lipsio censeo. Quem qui cupiet explanatius omnes  
de

de notis antiquitates proponentem audire, adeat & audiat  
Epist. XXVII. Cent. I ad Belg.

Sed quid, ubi concio est dimissa, ab industrio requiritur auditore sive discipulo? Quid verò, quàm ut istos quos à Præceptore nactus est, sapientiæ thesauros, custodiat, hoc est, vel solus, vel aliorum etiam junctus consortio, illa, quæ audivit, repetat, relegat, quin adhibitâ recte rationis regulâ examinet, & si quid oboriatur dubii, à suo sibi Præceptore eximipetat. In aquâ scribunt, qui multa notant, hoc tamen facere negligunt. Et hæ quidem Auscultationis leges sunt.

*De*

## IIX.

*De Lectione & quæ eius  
leges.*

**E**TSI autem ipsa, ut patuit,  
maximum eruditionis com-  
parandæ est ad miniculum ;  
haud scio tamen, annon eam si  
non superet, certè æquet bono-  
rum scriptorum Lectio.

Quanti hanc prisci illi sapi-  
entes fecerint, id abundè testati  
sunt, dum suos domi aluerunt  
servos anagnostas, qui inter  
prandendum & coenandum,  
quin & in ipsis conviviiis, præ-  
lectioni librorum vacarent :  
hoc studii in T. Pomponio At-  
tico, Cornelio Nepote & in Plin-  
io majore, Plinio juniore  
summopere extollentibus, &  
tam-

tamquam animi miro scientiæ  
amore flagrantis minimè fal-  
lax iudiciū proponentibus.

In Ca- *Lectio nimirum* (sic sentit Pa-  
pric. *lingenius) esca animi est,*  
*quæ si bona, prodest,*

*Si mala sit, non parva solet dare*  
*damna legenti,*

*Non secus atque malus cibus est*  
*damnosus edenti.*

Si quæras: quibus ergo te  
legibus in legendo distineri  
cupiam? dico in initio, libros  
paucos eosque bonos & ad sco-  
pum studiorum tuorum attin-  
gendum facientes tibi pervol-  
vendos esse.

Paucos dico, non ac si impro-  
bem morē illorum, qui præ sin-  
gulari erga literas amore sibi bi-  
bliothecam, quæ verè quoddam  
quasi

quasi Mnemosynes sit delubrū  
& elegantissimarum Musarum  
domicilium, impendio non  
modico construunt & quic-  
quid in ejus libris reconditum  
est sapientiæ heluari conantur.

Sed ut primò ostendam, il-  
lum non esse continuò erudi-  
tum, qui possidet libros multā  
eruditione refertos: persua-  
denti enim hoc sibi rectè occi-  
nas illud Aufonij:

*Emptis tot libris tibi bibliotheca*  
*referta est,*

*Doctum, Grammaticum te*  
*Philomuse putas.*

*Hoc genere & chordas, & ple-*  
*etra, & barbita conde;*  
*Emptor sis hodie, cras citha-*  
*rædus eris.*

C

Dein-

Epigr.

43. ad

Phi-

lom.

Gram.

Deinde ut non paucos à vaga  
 autorum lectione abstraham:  
 omnino enim accedo senten-  
 tiæ Plinii dicentis, *non multa  
 sed multum legendum esse*, præ-  
 fertim cùm, ut rectè pronun-  
 ciat Romanus Sapiens *fasti-*  
*Epist. I.* *dientis stomachi indicium sit,*  
*multa degustare, quæ ubi varia  
 & diversa sunt, inquinant non  
 alunt, & ut idem rursus ait, cùm  
 istiusmodi erronei, dum ubiq;  
 esse volunt, nusquam sint.*

Addo bonos pervolvendos  
 esse. At quinam hi? Illi, qui a-  
 nimum aureâ virtutis verita-  
 tisq; luce perfundere, sive vo-  
 luntatem amore boni incen-  
 dere, intellectum verò cogni-  
 tione veri imbuere possunt.

Hujus



Hujus autem, ut sic loquar,  
monetæ illos esse præcipuè exi-  
stimo, qui ab antiquis tempori-  
bus ad nos pervenerunt: præ-  
terquam enim quòd ætas, qua  
illorum autores floruerunt,  
aurea prorsus fuit; ipsa quoq;  
illa scripta jam ita à multis re-  
trò seculis à viris eruditis sunt  
cretâ, quod ajunt, notata, ut ne-  
mo facile, nisi qui fungum pro  
corde habeat, eorum præstan-  
tiam in dubium vocare aufit.

Quod tamen cùm dico, non  
hoc volo, neminem veterum  
fortè alicubi hallucinari potu-  
isse, vel etiam ita eos omnigenæ  
eruditionis nectar imbibisse, ut  
nihil omnino illos latuerit: *ni-* Exer-  
*hil* enim ex sententiâ Jul. Cæsa- cit. ad  
Card.  
ris Scaligeri *infelicius est illis* 306.

C. 2.

inge-

*ingeniis, quæ mordicus tenent  
maiores nostros nihil ignorasse,  
sed id tantum innuo, tutius nos  
illorum quàm recentiorum  
scriptis inniti posse, propterea  
quòd hi sæpe multa malè, ne  
dicam absurdè, efficta illorum  
sententiis allinunt, vel illis pe-  
nitus in solas terras relegatis  
sua substituunt nugamenta,  
veletiam pleraque ex veterum  
scriptis deprompta pro suis in-  
ventis ridiculè venditant.*

*Quapropter altiùs cujusvis  
menti infixum esse velim, ve-  
terum scriptis primas præ re-  
centiorum commentationib⁹  
tribuendas esse. Et cum has  
quoque legere necessum sit,  
(nonnullas enim ex illis cum i-  
psa antiquitate conferri posse  
si nege-*

si negem, sim iniquus rerum  
æstimator) istas perlustrandas  
esse, quæ veterum vestigiis in-  
sistunt & vel ab illis tradita è  
tenebris in lucem protrahunt,  
vel etiã rectè & acutè animad-  
versis adaugent. Quid multa?

cum Plinio dico: *Sum ex iis* Lib. VI

*qui mirer antiquos non tamen,* Ep. 21.

*ut quidam, temporum nostro-  
rum ingenia despicio: neque  
enim quasi lassa & effæta natu-  
ra, ut nihil jã laudabile pariat.*

Cæterùm cum non sit cu-  
jusvis, præcipuè verò illius, qui  
tantùm literarum primordiis  
est imbutus, libros bonos &  
malos ita ab invicem secerne-  
re, tutissimum erit, studiosum  
adolefcentem illorum judicio  
niti, qui tum veterum, tum re-

centiorum scriptis pervolven-  
dis studia & vigilias suas ita tra-  
diderunt, ut in proximis ab i-  
psa antiquitate subselliis con-  
sistant.

Enimverò (liceat denuo Pli-  
nium huc accersere) si, *ut de*  
Lib I. *pietore, sculptore, fictore nisi ar-*  
Ep. 10. *tifex judicare, ita nisi sapiens*  
*non potest perspicere sapientem,*  
illis utique hic fides est habenda,  
qui & libros hos assidue le-  
gerunt, & deinde eà sunt inge-  
nii perspicacitate, ut facile,  
quid æra lupinis distent, edisse-  
rere valeant.

Denique subjungo, legen-  
dos esse istiusmodi libros, qui  
ad scopum studiorum nostro-  
rum consequendū plurimum  
conferant. Linguarum nem-  
pe

pe qui se cupit fieri callentissimum, istos evolvat autores, e quibus doctorum virorum iudicio earum cognitio hauriri potest. Qui Philosophiæ, optimos quosq; Philosophos legat.

Verbo: Ut nautæ in vasto mari inter ingentes aquarum, ut Poëtæ loquuntur, montes innumerosque fluctus acum magneticam in conspectu habent & ex illius veluti præscripto navim moderantur: ita Musarum cultori in infinitâ & stupendâ librorum copiâ & vastitate oculi in scopum intendendi, & hoc tanquam præmonstratore cursus in illorum lectione dirigendus.

C 4

Quo

## IX.

*Quo ordine libri sint legendi.*

**S**ed nunc, si pergas sciscitari, nullis ne præterea legibus te adstrictum esse velim? porro tibi hanc suggero: In lustrandis sapientum scriptis ordo certus servetur: ordinem enim memoriæ maximum afferre lumen jam olim M. Tullius monuit.

At quis iste? hic ipse, ut primò adhibeamus illorum lectionem, quæ nos ad Linguarum, Latinæ præsertim & Græcæ cognitionem quasi manu deducunt: cùm enim, ut eleganter juxtâ & sapienter æternum orbis literarii ornamentum Joannes Caselius ait, *Lingua*

guæ Latina & Græca sint arculæ De lud.  
Musarum, quibus ipsæ thesauros liter.  
sapientie reconditos custodiunt, rectè  
aper.  
qua quæso ratione thesauris i- N. 117.  
stis poteris, ipsas arculas si ade-  
ptus non fueris?

Itaque Xenocrates prudenter  
cuidam amuso & rudi; ad Phi-  
losophiam tamen & diatribam  
suam adspiranti: *Abi, abi,* in-  
quit: *non enim ansas habes Phi-*  
*losophie.* Quæ verba cum ali- Manu-  
cubi ille, quem jam antè lauda- duct.  
vimus J. Lipsius recitasset; ad ad Phi-  
dit: *Vt ansæ humorem non con-* los.  
*tinent, vasi tamen necessaria* Stoica.  
*sunt ad usum: sic de literis, Sa-* l.I.  
*pientiam non habent, sed confe-* Diff. II.  
*runt ad habendam.*

Quod ille de literis, hoc de  
nonnullis quoque affirmare li-  
cebit

cebit disciplinis: de quibus tamen antequam dicamus, illud sine silentio diligentique observatione, nobis minimè trāsmittendum esse videtur, cum autores isti, ex quibus illarum, quas dixi, linguarum notitia petenda est, sæpè, quod in Poetis & Historicis maximè perspicuum est, in mentionem regionum, insularum, maris, urbium, sinuum; lacuum, fluviorum, montium, sylvarum, & aliarum, quæ hujus generis sunt, rerum incidant, ne illorum oratio densissima tibi sit appareatque caligo, orbis distinctionem, terrarum situs, tractus maris & his gemina summa cognoscenda esse curâ. At cognoscuntur è libris Geographi-

cis.



cis. Horum ergo lectionem illius alterius sociam esse oportere vel ipse videt Tiresias.

Loqui autem me præcipue existimes de Geographiâ veteri, hoc est, illâ, quæ recepta apud veteres orbis terræ, regionum & maris divisiones atque appellationes exponit: recentiori enim, etsi suus constat usus, isque minimè tralatitius; exiguus tamen; si non omnino nullus, se ejus in veterum scriptis pervolvendis, exerit.

In ipsa verò historiarum tempe longè amœnissima qui velit excurrere, eum, præterquam quòd Geographiæ scientem esse par est, decet quoque temporum seriem perspectam habere; rectè enim, ut mea fert

C 6 sen-

sententia, dixit, quicumque dixit, duas esse historiae alas, Geographiam & Chronologiam. Quibus qui Genealogiae, id est, generationum seu stemmatum notitiam annectunt, nunquid errant?

Sicut enim illi à sapientissimorum placitis non declinant, qui historiae dignitatem & praestantiam tribus potissimum signis aestimant: ut vera sit, nulliusque adulationis fuce colorata: ut chorographiam loci, in quo gesta est, accuratè representet, atque etiam tempus circumscribat proprium: ita nec illi in ullum impingunt lapillum, qui Genealogiam his addunt, & quemadmodum Poëta si adpositè ad delectationē;  
ora-

orator ad fidem; Philosophus ad vitam dicat: impleſſe munus ſuum videntur, ita hiftoriæ ſcriptorem, niſi hæc tria ſimul miſceat, ac temperet fruſtra ſe in ſingulis jaſtare dicunt.

Sed ſicut hiftoriarum, ita quoque Chronologiæ & Genealogiæ ſtudium in aliam reſiſciendum eſſe puto ætatem & potius eum, qui in Latio Græciaque aliquamdiu jam comoratus eſt, ad Arithmeticæ primùm, dein Geometriæ & denique Muſicæ, addo etiam Aſtronomiæ ſtudium tranſire pervelim.

Quod meum conſilium quamvis paſſim receptæ hodierno die conſuetudini refragetur; ab antiquorum tamen

L. I.  
Noct.  
Attic.  
c. IX.

Philosophorum sententiã in-  
nimẽ abit: notum enim est ex  
Agellio Pythagoram, at quan-  
tum qualemque virum! illis,  
quos in disciplinam receperat  
suam, initiõ quidem silentii  
imposuisse legem, auscultandi  
tantum relictã copiã, ut pro-  
pterea ἀκυστικοὶ dicti fuerint, at  
enim ubi jam præfinitum hoc  
silentii tempus effluxisset, per-  
cunctandi ipsis datã potestate,  
Geometriam, Gnomonicam,  
Musicam cæterasque hujus or-  
dinis disciplinas discendas &  
meditandas eis proposuisse, ut  
inde μαθηματικοὶ appellati fue-  
rint. *Exinde verò (verba sunt  
Agellij) his scientiæ studiis orna-  
ti ad perspicienda mundi opera,  
& principiana natura procedebant:*

ac

*ac tunc denique nominabantur  
κουροι.*

Frustra sim, si plura veterum exempla adferre velim; cum hoc Philosophi Samii institutum non paucis nostri ævi viris eruditis adeò non displicuerit, ut illud in ludos literarios introducendū esse rati sint. Joannem Caselium non sine elogio jam antenominatum planè hîc Pythagoræum esse intelliget, qui ejus de ludo literario rectè aperiendo librum ipso dignum Apolline, & hujus præcipuè additamentum evolverit.

Quare & nemo à me velim expectet, ut rationum mementis, quorum tamen mihi numerus suppetit haud exiguus, robur huic sententiæ acquiram;

ram; multò minus, ut cum perversis nostræ ætatis opinionibus, quæ multos, ut æstus Euripi abripiunt, pugnem: ut enim invenias inter illos, qui agro velit paterno cedere, qui rationibus velit cedere, nullus erit. Id ergo potius mea subjungat oratio, eum qui familiariter cum mansuetioribus Musis aliquandiu versatus est, jam attigisse illam ætatis lineam, quam ad Dialectices & totius deinde Philosophiæ cursum aperio & demitto.

Dialectices seu Logices cognitionem sicut aspiranti ad reliquarum disciplinarum notitiam summè necessariam esse omni adseveratione confirmo; præsertim cum, ut Clemens A-lexan-

alexandrinus ait, ipsa sit veluti  
vallus quidam, ne veritas con-  
culcetur: ita omnibus modis  
inficior, in singulis ejus latebris  
excutiendis inutilibusque ar-  
gutiis addiscendis, & quod o-  
mnino addendum, in rursan-  
dis compendiorum & com-  
mentariorum quorumvis, ut  
sic dicam, quisquiliis bonas  
horas infumendas esse. Sed  
hanc rem explicatius tractan-  
dam alius sibi labor reservat.

Modum facile rectèq; ratio-  
cinandi qui percepit, eum in  
Metaphysices, Physices & reli-  
quarum disciplinarum Mathe-  
maticarum adyta jam intro-  
mifero. In quibus quomodo  
unumquemq; versari deceat,  
id & plura alia se explicaturam  
pol-

pollicetur Studii Philosophici  
Methodus.

Adeste igitur nunc ultimò  
vos disciplinæ Philosophicæ,  
Ethica & Politica, activæ sive  
Practicæ dictæ: ultimò, inquã,  
adeste; minimè tamen pro-  
pterea in ultimis ponendæ, vel  
etiam ultimo loco cognoscen-  
dæ. Absit sic sentiam; quin po-  
tius existimo, cum ipsis litera-  
rum rudimentis, teneræ ætati  
virtutis præcepta instillanda es-  
se, non quidem deprompta ex  
Aristotelis libris, sed aliorum,  
qui cohortando potius, quàm  
disputando rem conficiunt.

Ad pleniorẽ autem & ac-  
curatiorẽ doctrinã de mori-  
bus & societatibus scientiam  
imbibendam requisivero æta-  
tem



tem paulò provectiorem. Et  
hìc quoque diligentiorẽ &  
exactiorẽ historiarum lectio-  
nem locum habere dixerim :  
præsertim cùm ad mores rite  
formandos & rempublicam  
rectè gubernandam, incredibi-  
le sit , quantum incitamenti  
prudentiæq; adferat.

Atq; hic est iste Philosophiæ  
circus hoc ordine decurrendus.  
Rhetorices & Poëseos me non  
meminisse, si quis velit objice-  
re, is cogitet sub linguæ Latinæ  
mentionẽ utramque compre-  
hendi : cave enim vel medio-  
crem ejus cognitionem te con-  
sequutum esse glorieris, si illa-  
rum te planè rudem esse, fateri  
cogaris.

Ad

Adeum ergo modum ubi animos vestros, ô Musis dicata pectora, exquisitissimis hujus Divæ epulis paveritis, nihil amplius vos detinere poterit, quominus, vel ad abditissimam illam & cœlestem Philosophiam (Theologiam vocant) vel ad illam juris legumq; magistram (Jurisprudentiam intelligo) vel denique ad istam bonæ valetudinis tum effeetricem tum conservatricem (Medicina hæc est) vos totos convertatis. Conversi ad unam ex illis quomodo vos gerere debeatis, id verò illarum vos docebunt præsides.

Ego id denuò inculcandum esse censeo, illum, qui viam eruditionis ingressus sine istiusmodi ordine, uno impetu & fuse

fusè omnia cognoscere nititur,  
non tam iter facere, quàm in  
Labyrintheis anfractibus cir-  
cumvagari. Dubitanti pressius  
fixiusque hoc considerandum  
suggero: Ingentes & vasti  
montes, si altera post alteram  
dematur particula, possunt lo-  
co moveri. Ingentes turre,  
quarum vertex nubibus est  
pervius

*Sublimique minans irrumpt in  
atheratecto.*

ut hoc Poëtæ hîc inseram, ad  
tantam perduci possunt altitu-  
dinem, si lapidem lapidi tem-  
pore succedente imponas; at si  
simul & uno impetu id effice-  
re coneris, oneri prorsus suc-  
cumbes; tantum aberit, ut per-  
ficias.

Quid

Quid? nonne parili ratione cum eruditione erit comparatum? Profectò si uno eodemq; tempore tam vastam molem in humeros tuos velis attollere, citi⁹ sub illa corrues, quàm recto stabis talo; at si disciplinam post disciplinam, scientiã post scientiam, linguam post linguam tibi reddas familiarẽ, tandem, & te ipso tale quid non animadvertente, in eruditionis possessionem venies.

His illud ultimò adtexo, cùm intellectus noster, ut ille ait, *sit instar vasis angusti oris, quod aquam largiter affusam respuit; guttatim verò instillatam recipit*, initiò tyroni artis, qualis, qualis tandem, istos librosevolvendos esse, qui imaginem re-  
rum

rum latè aliàs diffusarum, concisè depictam oculis nostris sistunt, & semper faciliora difficilioribus præmittenda esse. Et hæc quoque est ordinis lex.

## X.

*Quomodo libri legendi, & de die disponendo.*

**C**ui latus veluti claudathæc ipsa: in librorum arcanis perscrutandis legitimi observans sis modi. Vbi non ingeram cuiquam denuo attentè & sæpe libros legendos & relegendos esse: ecquid enim juvat eandem crambem recoquere? Id potius ingemino: quoniam omnia, quæ leguntur, non sunt ejusdè pretii, ad instar columbarum è magno frumenti acervo

cervo ea feligenda esse, quæ nobis maximè prodesse possunt.

Exemplis hoc confirmari qui cupit, ei sisto Imperatorum gemmam C. Oct. Augustum:   
 Octav. hunc Sueton. Tranquillus *in e-*  
 c. 89. *volvendis utriusq; lingue au-*  
*toribus nihil equè sectatum esse*  
*scribit, quàm præcepta & exem-*  
*pla publicè & privatim salu-*  
*bria eaque ad verbum excerpta,*  
*aut ad domesticos, aut ad exerci-*  
*tuum provinciarumque recto-*  
*res, aut ad urbis magistratus mi-*  
*sisse, prout quisque monitione*  
*indigeret. Imperatorem in e-*  
*volvendis scriptoribus tam sol-*  
*licitè versatum esse audimus,*  
 & nos hîc quicquam in nobis desiderari patiemur?

Sed

Sed en tibi nunc ultimam legem, qua te tibi metipſi in libris legendis legislatorem eſſe volo. Legislatorem verò ? omnino, & hoc quidem modo, ut, ſimul atque excuſſo ex oculis ſomno cubitusurrexeris, diem, ut phraſi Suetonianâ utar, diſponas, hoc eſt, quid quantumve iſto die ſingulisq; ejus horis legendo aſſequi cupias, decernas & tibi ipſi præſcribas.

Dici vix poteſt, quantum ex eo exiſtat emolumentum; & tamen quotuſque eſt, qui vel levi illud cogitatione delibet? Longè alia Imperatoribus (ad hos enim ruruſus veniam) mens fuit: ut enim idem Tranquillus narrat, Fl. Veſpaſianus certis diei horis certa negotia expedivit.

D

divit.

divit. Et Tiberius diem disposuit, hoc est, manè apud se, quid agere illo die vellet, constituit. Nec Philosophis minori hoc curæ fuit: Xenocrates enim referente Stobæo, diei disponendæ non nihil temporis indulsit, & dum disponderet silentium omnibus imperavit.

E regione quasi hujus Dispositionis consistit, Examen, quo vesperi in nosmet ipsos secedentes inquirimus, quid illo die egerimus, & quæ legimus ac didicimus, repetimus suo unicuique in diariis & ephemeridibus loco tributo. Qui utrumque ei, qui se ad cognitionem rerum transtulit, agendum esse velit ambigere, eum, qui ne unciolam sanæ mentis habere, di-

xerit



xerit, ab illius partibus ego steterim.

Quapropter & nihil aliud, nisi unum hoc, legis jam jam à me latæ illustrandæ causâ, addo: Si illi, quibus longum aliquod iter est conficiendum, ut eò citius & commodius illud emetiri valeant, viam in certas quasi partes dividunt constituuntq; se singulis diebus quinque vel sex, vel septem, modò Divini Numinis non defuerit favor, milliaria absoluturos; quid illis faciendum esse rebitur, qui ad eruditionem, tanquam omnis boni metropolin longo & vix ac ne vix quidem, dum hanc vitam vivimus, finiendo itinere contendunt? Sed nunc tandem relicto hoc

D 2

lectio-

Lectiois quodam quasi oceano, vela nostra ad Meditationem convertamus.

## XI.

*De Meditatione eaq; rectè  
instituéndâ.*

**S**Alve igitur Meditatio: quidni te salvere jubeã? tu quippe es illa, quæ audienda & legenda nobis suppeditas, quæ naturæ penetralia nobis recludis, quæ nos per terræ theatra ducis, inque maris abyssum demergis, quæ fons es omnis eruditionis, quæ hominem extra hominem constituis, quæ nos terrenæ huic feci immerfos cœlestibus infers ibique æterna gaudia velut anticipare facis, quæ denique geniis cœlestibus ipsiq;

ipsique adeò Deo nos associas:  
nam, ut de Pythagora Poëta  
Sulmonensis,

*Mente deos adiit, & quæ natu-  
ra negabat*

l. XV.  
Metam-  
fab. II.

*Visibus humanis, oculis ea pe-  
toris hausit.*

At ubi & quomodo animus  
ad meditandum instituendus?  
non equidem quovis tempore  
locove: etenim si junctus aliq-  
rum confortio, ut in conviviiis,  
senatu aliisque conventibus,  
vel in medio foro, velis profun-  
dâ quicquam cogitatione ver-  
sare, vapulabis illorum sermo-  
nibus, qui se in illis, qui homi-  
num temperant mores, profi-  
tentur: ut enim Galateus du-  
dum monuit, *Inconcinnum est,  
esse melancholicum & cogita-*

D 3

bur-

bundum eoque ex loco, ubi quis est, quasi abreptum & extra se ipsum constitutum. Et quamvis hoc ferri fortè possit in iis, qui multos jam annos in consideratione & contemplatione artium liberalium toti fuerunt; in reliquis tamen sine omni dubio probari hoc non debet. Immo illi ipsi prudenter facerent, si eo tempore, quo meditationibus suis indulgere cogitant, ab aliorum consuetudine penitus abstinerent.

Bene est, quòd illos, qui rerum contemplationi assueti sunt, de reis exemptos esse existimat: De Thoma enim Aquinate magni ingenii, nec minoris sanctitatis viro, me legisse recordor, eum, cùm à Rege Gallia-

Galliarum ad epulas, dapesque  
regias invitatus, comparuisset,  
& alii ex convivis salibus & ver-  
borum lepore sibi invicem ab-  
blandirentur; alii ventris patro-  
cinio suscepto cupedias strenuè  
popularentur, alii vim vini avi-  
ditissimis gulis strangularent, o-  
culis in certum aliquem locum  
defixis immotum instar statuæ  
cæteris assedisse, & tandem, non  
aliter, ac si secessu suo conclu-  
sus esset Philosophico, mensâ  
manu percussâ, exclamasse:  
Conclusum est adversus Mani-  
chæos. Regia autem reliquis ve-  
tum vocem, tum percussione  
istam mirantibus affirmasse, si-  
bi argumentum obterendis  
Manichæorum blasphemis  
maximè idoneum, ratiocina-  
tione

tione attentâ jam jam animad-  
versum esse. Quare & Rex a-  
deò hoc ei vitio vertere non  
potuit; ut laude & admiratio-  
ne prosequi coactus fuerit.

Sed ego si jam articulatim  
vellem exponere, quem in me-  
ditando unumquemque oportet  
amplecti modum, non in  
Logices solùm, verùm etiam  
totius Philosophiæ vireta no-  
bis secedendum esset, atque a-  
deò in peculiarem nostra hæc  
narratio librum excresceret.  
Quapropter id tantùm strictim  
aperio, ante omnia attenden-  
dum esse, quibus fundamentis  
res ista, quam sub considera-  
tionem vocamus, innitatur,  
quibus illa constet principiis.  
Quod si hæc rectè se habuerint,  
res

res ipsa firmo stabit talo ; sin-  
minus corruet.

Et unde quæso est tanta opi-  
nionum falsissimarum moles,  
sub qua, parum abest, quin ve-  
ritas suffocetur, nisi inde? quòd  
falsa sibi mortales fingunt prin-  
cipia, ex quibus falsas enasci o-  
piniones, & ex his pessimam  
scaturire vitam mirum non est:  
hoc enim, ne nescias, ista cohæ-  
rent nexu ; falsa principia falsas  
gignunt opiniones, falsæ opi-  
niones pessimam vitam, & hæc  
malorum pelagus.

At quodnam meditationi  
tempus assignabimus? vesper-  
tinum præcipuè & nocturnum:

*Mirè, ait Plinius, silentio & te-<sup>l. IX.</sup>  
nebris animus alitur ab iis, quæ<sup>Ep. 36.</sup>  
avocant, abductus & liber &*

*D § mihi*

Libell.  
de Cu-  
riosit.

*mihî relictus : non oculos ani-  
mo, sed animum oculis sequor,  
qui eadem, quæ mēns, vident,  
quoties non vident alia. Plutar-  
chus quoque, cū verissimum  
esse dixisset, illos, qui mente  
plurimum utuntur, sensuum  
motu perparco uti, addit, hos  
ipfos eandem ob causam Mu-  
sea longissimè ab urbibus ad-  
ficasse, & Græcos noctem εὐ-  
φρόνῃ dixisse à benè intelligen-  
do. Sed isthæc omnia explicet  
& confirmet Poëta Stellatus.*

in Li-  
brâ.

*Nonnulli (ita canit) ut melius  
meditentur, lumina claudunt;  
Aut sese à turbâ abducunt, loca  
sola petentes:  
Vel cū nox piceo terras vela-  
mine texit,*

*Et*



*Et jam lethæo torpent anima-  
lia somno,  
Pervigilant, tacitique toro, ex-  
tinctaque lucernâ,  
In tenebris acuunt contractam  
à corpore mentem.  
Nempe animum turbant sen-  
sus: populantur eundem  
Affectus, redduntq; hebetem,  
involvuntq; tenebris:  
Non secus ac nitidum præte-  
xunt nubila solem.*

## XII.

*De sermonibus cum viris e-  
ruditis miscendis.*

**S**Ed nunc, dimissâ ex ample-  
xu nostro meditatione, huc  
vocemus colloquutionem cum  
viris eruditis instituendam.  
Non rores hyblæi, non nectar

D 6

Divo-

Divorum, non ambrosiæ gra-  
men, cuius, ut Poëta loquitur,  
*Copia magna oritur passim cæ-  
lestibus arvis,*

cujusquam docto sic arridere  
possunt palato, ut quasvis acer-  
bitates edulcat, mentem collo-  
quiis virorum eruditorum, ve-  
lut bellariis & scitamentis qui-  
busdam, pascere.

Quod cum, Musarum Cha-  
ritumq; sedes sublimiores pri-  
mum ingressus, coram experi-  
rer, eâ perfusus fui voluptate, ut  
hoc fuderim hexastichon:

*Nulla potest animum sic demul-  
cere voluptas,  
Ut docti afficiunt mellea ver-  
ba viri.*

*Musica Sirenum est strepitus,  
clamorque sonorus,*

*Si*

*Si doctus doctos intonet ore  
sonos.*

*Quid, quod cum doctis versari,  
idea futuri*

*Colloquii in cœlis est equidem  
angelici.*

Hæc verò, quæ olim subitaneâ cecini venâ, quàm cum Senecæ, nostri delicij, sententiâ congruant, illum nescium non esse arbitror, qui in hujus amœnitates nonnunquam solet excurrere. *Conspectus*, inquit, & *presentia*, & *conversatio* aliquid habet *vivæ voluptatis*. A-

Epist.  
XXXV.

libi verò tantum ei tribuit utilitatis, ut dicat: *Occursus me hercule ipse sapientium juvat, & est*

Epist.  
XCIV.

*aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Sed cur non & quæ præcedunt recitemus?*

D 7, Nulla

*Nullares, ait, magis animis honesta imbuit dubiosq; & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paullatim enim descendit in pectora. & vim preceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequenter.*

Magnifica quidem, at illo, quod verissimum est, veriora colloquij hujus elogia. Enimverò, ut innumera propemodum, quæ ex illo in nos redundare possunt, commoda silentio relinquam, quinam libri ad exsaturandum sapientiâ animum plurimum conferant, nihil melius quàm hoc nos docere potest colloquium.

Qui nempe virorum eruditorum fores pulsabit exquisiturus

turus illorum consilium, de bonis linguæ Romanæ autoribus evolvendis, videbit ab illis, quos mente habent reconditos salutarium consiliorum thesauros, candidè promi& totam hujus linguæ historiam ita in sole collocari.

Lingua Latina (ita differentes audiet) nulla fuit ante Romuli & Remi tempora, quæ tunc inter pastores ex linguâ Græcâ & Hetruscâ coalescens, sub septem Regibus Romanorum infans fuit, deinde sub Consulibus usq; ad Catonem Censorium quasi in pueritiâ rudior adhuc (ut patet in Legibus duodecim tabularum) tum sub Catone adolevit & vegetior facta est; postea ad ætatem

tem

tem Ciceronis translata, vigorem quasi virilitatis obtinuit, per Crassos, Antonios, Cicerones, Hortensios aliosq; ut narrat Tullius lib. de Clar. orat. & in oratore perfecto; tum sub Augusto senuit, virilior tamen adhuc: Augustus enim perquam Latine locutus est, referente Suetonio in eius vita: deinde paulatim coepit declinare, ab eius siquidem puritate deflexerunt Livius, Tacitus, Plinius & multo magis Tertullianus, Arnobius, Sidonius, Symmachus & similes, donec omnino extincta est circa annum Christi sexcentimum. Ab illo enim tempore usq; ad praeteritum seculum, quo, captâ Constantinopoli à Muhammede secundo,

cundo, coepit primùm in Italiâ cum Græcis & humanioribus literis reviviscere per Politianos, Vallas, Hermolaos, Pontanos, Pogios; nonnisi mera barbaries dominata est in scholis, quemadmodum fusè se docuisse in additamento ad Historiam Ludovici XI. ait amor & cor Musarum Gabriel Naudæus Syntagm. de Stud. liberali, ubi hæc eo, quo fecimus, modo breviter repetit.

Sed quid sibi istud vult, quod, præterito seculo, captâ Constantinopoli à Muhammede II. coepisse in Italiâ Latinam linguam reviviscere dicit, cùm seculo XV. sive anno quinquagesimo tertio supra millesimum, quadringentesimum magna

magna hæc urbs expugnata fuerit? non video, nisi ita explices hæc verba: *Captâ eo*, (quod antecedit,) *seculo Constantinopoli*, quo etsi jam tum Latina lingua vitæ non nihil recepit; verè tamen demum seculo subsequente vivere coepit. Sed industriæ hæc sunt alius.

Nunc id potius huc pertinet observare, non quamvis rem cuiusvis eruditi hominis consilio committendam esse; sed demum illius, qui istius fontis aquas non leviter degustavit, ad quem & nobis aditum patefieri cupimus. Non in eadem omnes depugnant arenâ: multi in mustaceo laureolam querunt; pauci verò ad eruditionis arcem regiâ grassantur viâ. In his igitur  
discer-



discernendis operam nostram  
versari par est.

Posterioris autem generis i-  
nitio sunt illi, qui à studio Hu-  
manitatis humaniores appel-  
lantur. *Humanitas* (ne sis ne-  
scius) est fundamentum alia-  
rum disciplinarum, unde ho-  
mines humaniores & cultiores  
fiunt. Non est autem existi-  
mandum, adeò angustis hanc  
ex se circumscribi finibus, quæ-  
admodum ineptè nonnullo-  
rum delira sibi persuasit ratio;  
sed decem partes comprehen-  
dere: linguarum notitiam, La-  
tinæ & Græcæ (quæ duæ priores  
sunt partes, Eloquentiam, Poë-  
ticam, Geographiam, Chrono-  
logiam, Historiam, Antiquita-  
tes, Fabulas & Criticam, sive li-  
brorum censuram. At

At enim linguæ (sic dices) Hebraica, Syriaca, Chaldaica & Arabica in hunc censum quoq; & vel maximè sunt referendæ: Concedo equidem & lubentissimè concedo, deducturo mentem suam in familiariorum & profundiorum arcanarum literarum; totiusq; adeo divinæ Theologiæ cognitionem, cum reliquas linguas, tum verò maximè Hebraicam & Chaldaicam cognitu necessarias esse Interim hoc largiri cuiquam haud possum, neminem inter humaniorum literarum consultos posse locum obtinere, nisi harum cognitione sit instructus.

Quæ enim malum etiam à sepulchro fors istos exerceret vi-

FOS,

ros, quos orbis Europæus, ob i-  
starum, quæ enumeratæ sunt,  
partium scientiam, velut quæ-  
dam coeli literarij sidera venera-  
tus est, & tamen Hebraicæ lite-  
raturæ prorsum ignari fuerunt.  
Nempe ex ordine politioris li-  
teraturæ virorum exturbandi  
essent, hoc si à vero non discre-  
paret.

Sed hanc apage dementi-  
am, & potius audi, cuinam Jo-  
annes Caselius mentem suam de lud.  
liter. a-  
per. No.  
destinarit sententiæ: *Nihil in-  
eptius est, inquit, quàm pueros* 558.  
*Hebræam linguam docere id  
temporis, cùm erat vacandum  
alijs ijsq; plusquam necessarijs.  
Neq; ego contemno Hebræam  
linguam, quam nesciam, ut quis  
suspiciari possit, & hoc causæ mei  
esse*

esse iudicij existimet ; neq; tamen ita nescio, ut etiam me fugiat quid ab eâ expectandum sit. Qui se ad sacras literas conferre cogitant, ijs suaserim, atq; etiam optem, ut Hebræi sint. Sed hoc satis maturè facient, ubi de vitæ genere constituerint, quod non faciunt adolescentuli. & si facerent, multa tamen prius discenda forent, quàm ad abditissimam hanc & celestem Philosophiam se totos converterent. Ad sacra enim non illois manibus, quod ajunt, neq; non purgato pectore accedendum esse statuumus. *Ista Caselius.*

Nullò ergo numero, nullo loco, si pergās quærere, num habendæ sint linguæ Gallica, Italica, aliæq; ejusdem ordinis dico,

dico, duplex linguarum studi-  
um non ineptè constitui posse,  
alterum *Civile*, alterum *Episte-  
monicum*. *Civile* seu *Politicum* est, quo in eam mens  
curam incumbit, ut illarum si-  
bi linguarum paret notitiam,  
quæ inter præcipuas Europæ  
nationes usurpantur, peregri-  
nationibus, tractandisque vel  
proprijs vel aliorum negotijs  
haud mediocriter utiles, quæ  
extra Scholas commodè addi-  
scuntur.

*Epistemonicum* est illarum,  
(quod ipsa docet vox) quæ ad  
scientiam faciunt, inter quas  
Latina & Græca familiam du-  
cunt. Et quantum eruditio in-  
ter bona homini à Deo conces-  
sa eminent, tantum linguas has  
inter

inter reliquas omnes, omnes  
fateri coguntur.

Sed Germanicæ quò se con-  
feret linguæ cura? ad civilia stu-  
dia linguarum. Inter quæ, qui  
illã velut in acie collocandam  
esse arbitrabitur, nã illum blan-  
dis, ut Poëtarum more loquar,  
Titan ocellis aspiciet. Equidem  
non possum non illis vehe-  
menter succensere, qui si exoti-  
corum verborum inquinamẽ-  
tis Linguæ Germanicæ foedare  
queant gravitatem, se rem tro-  
pæo dignam peregisse existi-  
mant, Sanè qui hanc in postre-  
missimis numerat, is indignus  
sit, quem Germania, magna  
hæc mater nostra, sinu suo fo-  
veat.

Quan-

Quanquam nec illos vera  
amabit Sapia, qui, si ex alio-  
rum poematibus rythmos  
quosdam nostræ linguæ impe-  
ritè confarcinare queant, se  
præclarum aliquid præstare  
rentur, linguarum Latinæ &  
Græcæ omniq; adeò humana-  
rum divinarumq; rerum scien-  
tiâ planè destituti.

Commodùm hîc denuo re-  
cordor Gabrielis Naudæi nar-  
rantis, amorem quædam Italos  
homines adeò suæ linguæ ex-  
ornandæ cupidos non ita pri-  
dem reddidisse, ut de Latinâ  
conclamatum esse multi per-  
suasum haberent. Non quidem  
meum est numerare eventura;  
præfagit tamen animus, si Ger-  
mani nostri, neglecto lingua-  
rum

**E**

rum

rum Græcæ & Latinæ studio, pergant vernaculo sermoni numeris adstringendo, unicè incumbere, futurum esse, ut barbariæ coenum omnia rursus collutulet. Illi igitur, qui se colore, non fuce velit commendare literarum, auctor fuero, ut sic, si velit, Teutonicam excolat linguam, ne reliquarum, de quibus dixi, studium, tanquam leve & minutulum contemnat, sed potius semper ei primas tribuendas esse, minimè in certo collocet.

Sed nunc his relictis, quæ magis ex usu publico, quàm ex gustu esse scio, id addamus: qui in amœnissimos historiarum hortos velit divertere, is adeat illos, qui in his non tanquam

Epicu-



Epicuri sed veræ prudentiæ  
hortis diu commorati sunt, &  
audiet Varronem, teste Censo- c. XXI.  
rino, tria discrimina temporum  
esse tradidisse. Primum ab ho-  
minum principio usq; ad Cata-  
clysmum priorem: quod pro-  
pter ignorantiam vocetur Ade-  
lon. Secundum à Cataclysmo  
priore ad Olympiadem pri-  
mam, quod, quia in eo multa  
fabulosa referuntur, Mythicon  
nominatur. Tertium à prima  
olympiade ad nos, quod dicitur  
Historicum, quia res in eo ge-  
stæ veris historijs continentur.

Et cum Corn. Nepotem  
Chronica scripsisse constet, pro  
triplici hoc tempore ἀδύλω,  
μυθικῶ, καὶ ιστορικῶ tria scripsis-  
se volumina & singulis unius

E. 2. tem-

temporis narrationem complexum esse, non obscure initio Hendecasyllaborum Catullus innuit : ita alloquens Cornelium : *ausus es unus Italorum Omne ævum tribus explicare chartis.*

Sed istis perennitas fuit inimica, nihil, nisi quædam illorum comparent fragmenta.

Cæterum, ut, quod de cataclysmo dicebat Varro, reddatur manifestum, diluvium aliud universale, aliud particulare nonnullis constitui, observationem meretur. Illud Noæ contigisse temporibus sacra nos docent literæ : & universale appellatur, non quòd totum terræ globum, sed terram habitabilem inundaverit : hanc enim aqua

aquâ obrui, delicta flagitabant  
mortalium. Particularium in  
historiâ Ethnicorum fabulosâ  
fit mentio, ut Ogygi, quod sub  
Ogyge in Atticâ, & Deucaliõei,  
quod sub Deucalione in Thes-  
faliâ contigisse ferunt. Eusebius  
inter inundationem Ogygiam  
& Deucalioneam centum fe-  
rè & septuaginta annos nu-  
merat, etsi Solinus aliter, quæ  
legere est ap. Joannem Lud.  
Viv. Comment. in lib. XVIII.  
August. de C. D. c. VIII.

Cùm igitur Varro tempus  
historiæ usque ad diluvium  
*ἄδηλον* vocat & inde *μωθικὸν* or-  
ditur, de Ogygio loqui videtur,  
quod vel ex S. Augustini verbis  
quivis colligat loc. cit. *Varro in-*  
*de exorsus est, inquit, librum, cu-*

E. 3 *jus*

*jus mentionem superius feci, & nihil ex quo perveniat ad res Romanas proponit antiquius, quàm Ogygij diluvium, hoc est Ogygij factum temporibus. Quavis diluvia particularia sub Prometheo, alijsq; facta, reliquias esse veteris traditionis de diluvio universali, quod sub Noacho contigit, existimat stupendæ lectionis & ingenij Johan. Gerardus Vossius de Orig. & Progress. Idololatr. lib. I. C. II. X. p. m. 141. & 142. Sed ista nobis alium campum haud levi saltu transvolaturis curæ erunt.*

Id igitur nostra subjungat consideratio, illi, qui Philosophiam ex animo cupiat colere, eorum utendum esse consilijs, qui in verâ minimeq; fucatâ, operam,

peram, annos, ætatem consumpserunt, & audiet confusio- nis devitandæ gratiâ, quam nu- per introduxere, qui vel propri- o Marte, vel ex antiquorum principiis Philosophati sunt, u- nius tantum *Aristotelis* vestigi- is nobis insistendum esse, su- gentibus primum Philosophiæ lac, non tam ex ipsius, quàm na- turæ, quæ eo interprete usa est, fecundissimis uberibus, donec grandioribus factis & pileo ac libertate donatis, quid in reli- quis Philosophorum scholis veritati magis consentaneum reperiatur dispicere liceat.

In Philosophiâ siquidem non secus, ac in militiâ, sub ali- cujus auspicijs priùs dimican- dum est, quàm ad ordines du-

E 4 cen-

cendos accedendum: & in unoquoque rerum ac scientiarum genere, primum aliquod semper esse debet, quod sit postea modus & regula cæterorum: ut iterum egregiè sentit & loquitur Gabriel Naudæus.

loc. cit.

Plus satis lucis colloquio huic, exemplis est allatum. Quare ultimò, monendus est ille, qui viros eruditos eo, quo commodum id illis esse novit, tempore adiit, ut perspicuè, omissâ omni verborum circuitione, quæ velit, apud illos deponat: mora enim & verborum nubes viris eruditis molesta est. Spirent quoq; actiones omnes, omnia verba modestiam: procul sint verba tumida & jactationis plena: ne cùm eum  
in fi-

in finem accesserit, ut doceatur, ipse illos docere velle videatur: submittat se illorum iudicio, & sic ubi fortè quippiam regerere necessum sit, id non nisi voce quadam humanitate & modestiâ conditâ fiat. Discessurus denique gratias illis agat pro suavi colloquio & informatione: testabitur hac ratione non solum animum suum gratum, verum etiam bipatentes sibi semper reddet ipsius fores. Et hæc de isto colloquij genere monenda erant.

## XIII.

*De Conversatione & Peregrinatione.*

**C**onferat se nunc oratio mea ad quintum & ultimum.

E s            mum.

imum eruditionis acquirendæ instrumentum: quod est, conversatio, seu amicitia, quæ inter ejusdem Musæ æmulos intercedit.

Huic eo maximè tempore nos deditos esse conveniet, quo animum labore fatigatum à studijs relaxare lubet. Instituentæ autem ita sunt cum amiculis confabulationes literariæ, ut singuli præcipua ex illis, quæ legerunt isto die vel alio pacto hauserunt, candidè depromât, iisque se invicem impertiant.

Hac ratione non solùm lecta, audita, vel alio modo percepta altiùs memoriæ infiguntur, verùm etiam alia addiscuntur, quin omnino languor è studijs contractus studijs iisdem propulsatur. Eras-



Eralmi Roterodami , in  
quem etsi non pauca inclemē-  
tius dixit J. C. Scaliger; poeni-  
tudo tamen hujus rei ipsum  
subijssē videtur : tale enim li-  
bro, quem *Heroes* inscripsit, in  
illius obitum carmen inseruit:  
*Tune etiam moreris? ab quid me*

*linquis Erasme,*

*Antè, meus quàm sit concili-  
atus amor?*

*Tune etiam? cui tam parvus fu-  
it orbis, ut altæ*

*Expleres mentis fulminā  
torvata.*

*Ergo sidereis postquam est sub-  
vecta quadrigis (sinu:*

*Atq; Dei lato lingua recepta*

*Ille ego qui insana ridebam vul-  
nera mortis,*

*Conditaq; Ætneâ tela triful-*

*ca manu, E 6 Ad*

*Ad quod vis stupeo momentum,  
ac territus adsto*

*Maxima cum videam numi-  
na posse mori.*

Hujus, inquam, Erasmi verba  
hic locum inveniunt. *Quemad-  
modum, inquit, qui sunt à scor-  
pijs jecti, solent ab iisdem remedi-  
um petere: ita mihi convenire  
videtur, ut, qui literis sumus ad-  
dicti, animi lassitudinem, aut  
corporis affectionem ab iisdem  
studijs sed amœnioribus recre-  
emus.*

Et hæc quidem sunt ista in-  
strumenta quibus eruditionem  
acquiri diximus.

Sed hic facile conjicio, qua  
ratione non omnino nemo no-  
stræ possit ob-loqui sententiæ.  
Pluria nempe, dicet, esse erudi-  
tio

tionis consequendæ ad minicu-  
 la : & inter ea peregrinationem  
 regio velut fungi principatu. E-  
 quidem non ignoro, cum alios,  
 tum verò Pythagoram, sive ac-  
 quirendæ, sive augendæ rerum  
 scientiæ causâ, variè peregrina-  
 tum esse: in Egyptum ad Mem-  
 phiticos vates, ubi *Oenuphim*  
*Heliopolitam* audisse Plutarch<sup>9</sup>,  
*Sonchedum Archiprophetam*,  
 Clemens Alex. tradiderunt. A-  
 diisse Babylonem etiam & *Per-*  
*sarum magos*: Indos quoque &  
*Brachmanas* pariter. E. Græ-  
 cis etiam *Pherecydem Syrum*  
 audivisse, & tandem à peregri-  
 nationibus suis reversum in Ita-  
 lia cœpisse, quæ didicerat, do-  
 cere.

de T.  
 fid. &  
 Ofir.  
 I.  
 Strom.

Cæterum quamvis inficias i.

E 7      reno-

re nolim, peregrinationi suam  
constare usum eumque non-  
nunquam minimè exilem; ne-  
minem tamen sine illâ in ele-  
gantis doctrinæ tractatione flo-  
rere posse, si dicam, inconfide-  
ratissimè loquar: tantum abest,  
ut illum, qui primordijs vix im-  
butus est literarum, harum co-  
gnosendarum causâ velim.

*Italicos penetrare sinus atq; in-  
timare regna,*

*Quæ Rhodanus velox, Araris  
quæ tardior ambit.*

Plato sanè, non nisi illum,  
qui quadragesimum attigisset  
annum, regionibus lustrandis  
operæ quicquam impendere  
voluit. Intellexit, opinor, sapi-  
entissima hæc Musa, illum, qui  
non sit animo obfirmato & ad-

ver-

versus voluptatum atq; fucatae  
sapientiae illecebras bene muni-  
to pectore, plus secum citius  
vitiorum & errorum, quam vir-  
tutum & salutarium opinio-  
num ex alijs regionib<sup>9</sup> adferre.

Ep.  
XXIIX.

Nam quid dicam de magno  
è porticu Philosopho? *Animū*,  
inquit, *debes mutare non cœ-*  
*lum. Licet vastum trajeceris*  
*mare, licet, (ut ait Virgilius no-*  
*ster) terraq; urbesque recedant,*  
*sequentur te, quocunq; pervene-*  
*ris vitia. Hoc idem cuidam qua-*  
*renti Socrates ait: Quid mira-*  
*ris, nihil tibi peregrinationes*  
*prodesse, cum te circumferas?*  
*Premittite eadem caussa qua ex-*  
*pulit. Et paulò post: Non pere-*  
*grinaris, sed erras & ageris, ac*  
*locum ex loco mutas, cum illud,*  
*quod*

quod quæris, Bene vivere, omni  
loco positum sit.

De descriptione si perconteris  
quoq; a non & hæc ad miniculis  
illis annumerari digna sit? dico  
verbo, illam à latere collocutio-  
nis, velut succenturiatam,  
consistere: quæ enim apud vi-  
ros eruditos verbis commodè  
depromi nequeunt, illam char-  
tam conjecta illis exhiberi opus  
est. Quamvis & privatim se-  
quemvis commentando ad  
majorem perducere posse per-  
fectionem non inficio.

Et hætenus quidem erudi-  
tionem acquirendam, queis li-  
cuit, coloribus delineavi. Cujus  
parandæ causâ licet nunquam  
cessaveris, πάντα λίθου κινεῖν ca-  
vebis tamen, unquam tibi ma-  
gnâ

gnâ magnæ cujusdam scientiæ  
possessione blandiaris. Quan-  
tum est, quod nescitur, & quan-  
tillum est, quod scitur. En eru-  
ditam ignorantiam ab Hugo-  
ne Grotio; in quo tamen ipsa  
videri queat eruditio, quanta,  
quanta, habitasse, ita metro ex-  
pressam :

*Qui curiosus postulat totum suæ  
Patere menti, ferre qui non suf-  
ficit*

*Mediocritatis conscientiam suæ,  
Iudex iniquus, estimator est  
malus*

*Suique naturæque : nam rerum  
parens,*

*Libanda tantum quæ venit  
mortalibus,*

*Nos scire pauca, multa mirari  
jubet.*

*Hic*

Hic primus error auctor est pejo-  
 Nam qui fateri nil po- (ribus:  
 test incognitum,  
 Falsò necesse est placet ignoran-  
 tiam (nubila  
 Umbrasque inanes captet inter  
 Imaginose adulter Ixion Dea.  
 Magis quiescet animus, errabit  
 minus,  
 Contentus eruditione parabili,  
 Nec quæret, si qua quærentem  
 fugit.  
 Nescire quaedam magna pars Sa-  
 pientia est.

## XIV.

*De Conservatione, Exornati-  
 one & Usu Eruditionis.*

**E**Rige te nunc ultimò mens  
 adesve style ad Conservatio-  
 nem, Exornationem & Usam  
 Eru-



Eruditionis describendum. Tu-  
ende eruditionis causâ ipse na-  
turæ Parens in cerebro huma-  
no, tanquam sede & arce qua-  
dam regiâ, ærarium constru-  
xit, in quo intellectus Regis &  
Principis instar thesauros suos  
congereret, memoria appella-  
tum.

Verum enim verò cum ea sit  
hujus imbecillitas plerumq; &  
angustia, ut vix ac ne vix quidē

*Auroram inter & Hesperum*

*Et qua sol medium tenens*

*Umbras corporibus negat.*

duos reperire liceat, memo-  
riâ pari custodiendæ rerum  
cognitioni præditos, admini-  
cula quædam adhibenda sunt,  
quibus illa suffulciatur. Quæ  
hæc sint, ita Erasmus explicat:

*Nox*

Non negligenda, inquit, memoria lectionis thesaur<sup>9</sup>, eam tametsi locis & imaginibus adjuvari non inficior; tribus tamen rebus potissimum constat bona memoria Intellectu, Ordine, Cura: Si quidem bona memoria pars est, rem penitus intellexisse. Tunc ordo facit, ut etiam, quæ semel exciderint, quasi postliminio in animum revocentur. Porro cura in omnibus, non hic tantum plurimum valet.

Egregiè: quid addendum? illud: curam consistere in ediscendo & repetendo: Ediscere quid sit, vel ille non nesciat.

*Possit qui rupem & puteum vitare patentem.*

Repetitionē potest mens Musarum capta amore vel secū ipse  
insti-

instituire, ut vel tacitè eo ma-  
ximè tēpore, quo serus declina-  
vit dies in vesperum, à se ipso sui  
profectus diurni rationem exi-  
gat, & quænam fortunulis suis  
facta sit eo die accessio compu-  
tet, vel etiam clarâ voce in loco  
ab arbitris remoto. Quid spe-  
rare inde possit emolumentum,  
docebit illum Seneca Epist. XV.  
& Plinius l. IX. Epist. XXXIV.

Vel etiam cum amicis: Hu-  
jus instituendæ causâ Q. Cice-  
ro Tullij filius id unum à Tyro-  
ne suo totâ animi contentione  
petit, ut *quamprimum Athenas*  
*veniat, ut possint unâ συμφιλο-*  
*λογεῖν.* Quid multa? audi Sene-  
cam: *Cum his, inquit, versare,*  
*qui te meliorem facturi sunt, il-*  
*los admitte: quos tu potes facere*  
*melio-*

l. XIV.

ad

Fam.

Ep.

XXI.

Ep.

VII.

*meliores. Mutuò ista fiant, & homines dum docent discunt.*

His nunc denique Excerptendi labos accedat, qui hunc non amat, non ipsam eruditionem amat: Excerptere enim est, conservandę eruditionis desiderio, ea, quę ex auditis, lectis, meditatione, inventis, colloquio & conversatione perceptis cum iudicio selegimus, in libris certis velut alveraribus quibusdã eo ordine disponere, ut ea facile invenire, repetere & si sic occasio ferat, iisdem uti possimus. Finis nempe Excerptorum hic est, facile ut possimus, nobis ea, quę selegimus, in memoriam revocare. Ut adeò, quò compendiosiori viâ ipsa nos ad hanc metam ducunt, eò meliora esse recte dicantur. Caterum quis

debeat esse excerpēdi modus & ordo, nec exponere nobis nunc licet, nec libet, cū Hieremias Drexeli<sup>9</sup> peculiari opusculo, cui titulū Aurifodinæ præfixit, hæc omnia fusè diduxerit.

Ufus ergo eruditionis, nostræ nunc sit considerationis fastigium. Movet autem mihi stomachum, nec immeritò movet, literatorum turbam, in eo usum collocare eruditionis, si magno argumentorum apparatu, undecunq; illū habere possint, obstinatè conquisito quovis in loco inter se ad ravim usq; depugnare queant, de cuius farinae hominibus jam diu ante vir illustris Jos. Scalig. Julij Cæs. Scal. filius ita conquestus est:

*Quò te ambulando cunq; veritas gentium  
Vitare non est disputatorum genus.*

*Procax, protervum, fastuosum, garrulum,*

*Quos pacis hostes ultima hæc ætas tulit:*

*Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,*

*E. questionum tristitate condiunt*

*Natas in usum sobrii risus dapes:*

*Hos nec decorum est, nec tuum refellere.*

Tali hoste victo quis triumphus te manet?  
 Luctante eodem, pugna gliscit acrior;  
 Nec dignitatem fronte ferrea pudor  
 Expressus auget; claritatem nec dabit  
 Extorta rixis veritas. In iurgijs  
 Vicisse nolle, quem queas, victoria est.

Odisse etiam non possum nō nonnullos  
 ὕμνητορας; Aristoteli tā opere improba-  
 tos, qui eruditione se rectē uti existimāt,  
 si sententiolis quibusdam aliorum aures  
 subinde feriāt. De quibus tamē senex Ter-  
 rentianus prudenter pronunciat. *Senten-  
 tias loquitur carnifex.*

Sed jacienda tandem est ancora: Rectē  
 igitur qui uti velit eruditione, exornatio-  
 ni locum concedat: Quæ enim modis jam  
 enarratis didicim⁹, nisi rectē inflectātur,  
 alio colore exornentur & ad usum futurū  
 vel præsentē accomodentur, omni gratiā  
 omni lepore sūt destituta. Utatur deniq;  
 eruditione in Supremi Naturæ Archite-  
 cti & fontis omnis eruditionis laudē, & sui  
 atq; omnium, si fieri queat, mortaliū salu-  
 tem. Verbo: usum æstimet eruditionis nō  
 ex vulgi, pessimi veritatis interpretis, sed  
 ipsius eruditionis genio & indole.

**P** Ag. 24. l. 13. verba p 21. l. 2. chalybi p  
 43. l. 17. expellitur p. 16. l. 10. Liby cas

F I N I S.

los  
ba-  
at,  
res  
Te  
en-


et  
tio  
am  
tur,  
urū  
tia  
niq  
ite-  
& sui  
alu-  
s nō  
sed


bi p  
cas











Handwritten blue ink markings, possibly a signature or date, including the year 1891.




ULB Halle 3  
005 129 036




VD 17





1. H  
2. O  
3. O  
no  
Me  
fi





B.I.G.

Farbkarte #13

Arnoldi Redekeri, Profess.  
in Academia Hasso-Schaumburg.  
Philosoph.

# TATUA

## Mercurialis

VIAM,  
ad Eruditionem pervenitur,  
COMMONSTRANS.



RINTELII  
edit Petrus Lucius, Acad. Typogr,  
clā h̄c LV.

[Ad 1395]

